Ergo persona Reipublicæ in Nobilitatis personam translata est:
Quorum persona coincidit, eorum & bonum coincidit.
ERGO BONUM REIPUBLICÆ CUM NOBILITATIS IN POLONIA JURE COINCIDIT.
Seu, cùm quæritur quid sit utile Reipublicæ Polonicæ, de jure quærēdum est, quid sit utile Nobilitati Poloniæ.

PROPOSITIO II.

„ Nobilitas & per consequẽs
„ Respublica Polonica
„ sibi sufficit.

Nobilitas in Polonia Territorium habet.
Nam & Episcopi regulariter ex nobilitate esse debent. Stanislaus Hosius vir cetera maximus, quòd plebejus esset, ægrè admissus est.
In Polonia Territorium lignis, frumento, melle, sale, pecore abundat.